

**Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.**

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 58, fol. XXIIIv–XXIII

**Exheredatio filiarum. Capiculum. LVIII.**

Exheredatur similiter filia quando degenerat, hoc est quando ante XV annos meretricatur. Si vero post, tunc perdit honorem, sed non hereditatem. Si post XVIII annum ducit virum legitimum sine voluntate parentum, tunc non perdit res neque honorem. Si autem post duodetimum annum sine voluntate parentum ducit virum, demeretur paternas res, sed non honorem. Et nota, quod omne ius quod habent liberi, idest filii et filie primi gradus, idem ius habent filii et filie secundi gradus scilicet nepotes et neptes, quia omnes illi in loca patrum et matrum succedunt. Nec iure novo est aliqua differentia inter filium et filiam in institutione heredis aut successione hereditatum. Sed quid si quis simpliciter dicat: „N. filie mee relinquo omnia bona”: utrum valeat illud testamentum? Dico, quod non, quia nec iure legati nec iure institutionis relinquit. Si autem quis dicat: „A. heredem mihi instituo et illi omnia bona mea relinquo”, tunc valeat testamentum, quia sic iure institutionis bona illa videntur esse relicta. Queritur aliquis habuit plures uxores et ex qualibet pueros generavit: quomodo instituet illos? Dico in bonis paternis omnes illos pueros equaliter instituet, sed in bonis maternis quilibet succedit sue matri et econ[fol. XXIII]verso de uxore que habui plures viros. Si autem vir et mulier res simul elaboraverunt vel emerunt, in his bonis silum liberi amborum instituantur. Potest etiam testator committere fidei alterius testamenti sui factionem sic dicendo: „N. heredem instituo et fidei ipsius integraliter committo omnem testamenti mei factionem, tamen peto ut illi vel illi hoc ante alios testetur”.

[hasła: ustanowienie dziedzica, wydziedziczenie dziedziczenie testamentowe, niegodność dziedziczenia, dobra ojcowskie, dobra macierzyste, prostytutcja, małżeństwo, dzieci, wnukowie, zasada reprezentacji, testament, ważność testamentu, forma testamentu, fideikomis, legat]